



P M
G

PETRI BURMANNI
ORATIO
IN
HUMANITATIS STUDIA.
HABITA

A. d. VIII. *Februarii* CIↃ IↃ CCXX.

Cum magiſtratu Academico abiret.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud SAMUELEM LUCHTMANS, 1720.

PETRI BURMANNI ORATIO IN HUMANITATIS STUDIA.

SUO unumquemque ſtudio duci & delectari, inter omnes ſatis conſtat; neque facile hominem invenias, qui non illa, quibus ſe excellere putat, omnium rerum prima, ſe vero, qui ea poſſidet, pulchrum & beatum eſſe arbitretur. Neque indoctam modo multitudinem, & illiteratos artifices caeco erga ſua opera amore auferri, ſed ipſos, qui ſuperbo ſapientiae & doctrinae titulo ſe à vulgo ſegregant, hoc communi morbo ita adfectos eſſe videmus, ut cum aliarum contemtione ſuas ſemper diſciplinas extollant, & tamquam unicas filiolas exoſculentur. Si vero in cauſſas inconcinnae & abſurdae oſtentationis penitius introſpiciamus, paucos certa perſuaſione de ſe & ſuis vera praedicare, ſed plurimos aliarum artium ignoratione peccare, alios cupiditate, ambitione aut avaritia abreptos, ſua commoda & ra-

tiones veritati praeferre, & pro ſolida laude vaniſſimae gloriolae umbram conſectari, deprehendemus. Quotus enim quiſque reperitur, ſua laudans, aliena culpans, qui ita in omnium rerum variam & multiplicem cognitionem, ejuſque interiores receſſus, penetravit, ut, ſingulis inter ſe comparatis, verum unicuique pretium ſtatuere, & uni prae alia admirabilem quamdam excellentiam adſignare poſſit? Immo quotus quiſque non plebeja potius trutina, quam aequa artificis ſtatera ita omnia propriae ſcientiae momenta examinavit, ut ad illam, quam ſequitur, probandam & praeferendam, certo judicio & ratione impulſum ſe eſſe, aliis perſuadeat? An non maxima eruditorum portio, ſi ſimpliciter & id quod res eſt eloqui vellent, inconſiderato ſe impetu, parentum & amicorum auctoritates ſecutos, in illas ſe toto animo doctrinas dediſſe fateri cogerentur, quae vel ad ingenii illuſtrioris famam, vel ad honores capiendos, vel ad rem faciendam, accommodatiores aliis oſtendebantur? quibus deinde, cum ſerum eſt eas dediſcere vel mutare, tam certis & deſtinatis ſententiis ſe addicunt & conſecrant, ut etiam factioſo furore partes ſemel temere ſuſceptas defendant. Cum vero poſt levem ſaepe & exigui temporis operam eas profiteri & exercere feſtinaverunt, è re ſua eſſe ducunt venales

pro-

proponere, & tabernam non utilibus tantum & necessariis, sed fallacibus & fucosis mercibus instruere, quas omnibus lenociniorum illecebris commendent. Quid? an non ipsos hos bonae mentis mercatus, ad quos rerum imprudentes juvenes magna contentione confluere solent, confusis & inconditis institorum clamoribus resonare audimus? & ex hujus cupiditatis fonte, tamquam rivulos, tot gloriosas orationes defluere videmus, quibus mercatores graviorum, ut ajunt, disciplinarum incautos adolescentium animos invitant & adlectant, ut praeteritis humiliorum artium sellis, apud suas officinas deversentur, & expositas ibi doctrinas ad utilitatem & necessitatem nundinentur? Quis vestrûm A. hoc sacrarium initurus, ut publice verba facientem Professorem audiat, aliud animo suo praecipere solet, quam ut illi, de suae disciplinae antiquitate, praestantia & praeter ceteras dignitate declamanti, defatigatas pervulgato argumento aures leviter, cum unius horulae jactura, sit commodaturus? praesertim cum in illas eruditionis copiae sint redactae angustias, ut raro alicujus scientiae Doctor regni & scholae suae fines & terminos egredi vel audeat, vel possit. Sed ne in ipso statim orationis limine insolentem & acerbam laudatissimarum artium censuram exercere vi-

dear, ambitiosae hujus ostentationis in primis Humanitatis & Elegantiarum Professores reos agere non dubitabo; meque ipsum, inter illos, qui populari blanditia & assentatione discipulos undique corrogare, eorumque benevolentiam colligere nituntur, non ultimo loco esse collocandum, fateri non erubescam. Non pudebit hodie prae me ferre, eum me aliquando fuisse, qui meditato & exquisito sermone, Linguarum, Eloquentiae, & Historiarum laudes amplificare, & magnum aliquid & praeclarum esse, Graece & Latine scire, dicendo efficere sum conatus. Sed aliquot abhinc annis totus mihi displicere coepi, & consilii à primis annis capti pervicacia, & ipsae illae, quas olim juvenili dicendi licentia, & vincendi magis quam veritatis studio habui, orationes maturiori aetati incutiunt ruborem. Irascor mihi, quod à mei ordinis & studii viris persuaderi mihi sim passus, nihil ad omnia tempora utilius, nihil ad vitam privatam & publicam elegantius, nihil ad laudem & famam praestabilius inveniri posse, quam mentem interioribus literis excultam & perpolitam habere. Indignor dictatoria illa magistrorum, quos sequebar, praecepta fecisse atque effecisse, ut illi togatorum ordini me adscribi sustinuerim, qui ex primo, quem obtinere solebat, loco detrusus,

vix

vix infimum, quem precario possidet, hodie in Academiis tueri potest. Quotidie stomachari non desisto, eam me vitae meae legem dixisse, ut perpetuo inter Grammaticorum & Criticorum subsellia sit consenescendum; neque ausum fuisse majora spirare, aut principibus inter eruditos viris adnumerari ambivisse. Cujus doloris & poenitentiae ut plenissimam hodie Vobis A. fidem faciam, non tralatitio circulatorum more, qui jam per omnes cathedras pervasit, merces meas jactabo & excutiam; nec orationem conquisito ex Rhetorum officinis pigmento adspergens, de literarum, quas profiteor, utilitate & praestantia insolenter gloriabor; sed vineta mea caedere, & aperto, sed atroci stilo, omnia Humanitatis studia, quae sua & docentium culpa merito jacent, confodere; eorumque non modo difficultatem, vilitatem & minime fructuosam sterilitatem, sed funestam in primis contagionem, & periculosam graviorum disciplinarum cum illis societatem ostendere decrevi. Quod si dicendo consequi, aut rationibus ullam hujus propositi partem cordatis persuadere nequivero, redundet haec quoque infelicitas in futilium artium cultorem, qui, cum Eloquentiam profiteatur, ne id quidem, quod omnes fere sequuntur & probant, evincere valuerit. Quamvis autem

tem maxime mihi laetandum ſit, apud illos agendi occaſionem oblatam, qui non modo in eadem opinione verſantur, ſed illam omnibus, qui ſe ad eos adplicant, induere conantur, praecipua tamen me ſpes tenet, non plane inefficacem apud vos, facillimi Adoleſcentes, Orationem futuram. In praejudicatam illico vos ſententiam ituros confido, ubi perſpexeritis, quam proclivi adſenſu conſilia veſtra & parentum rationes comprobare laborem. Ubi recte & ordine vos facere pronuntiem, ſi dimiſſi à manu & ferula paedagogorum, barbatis ſenibus auſcultantes, haec plebejae caveae ſubſellia tranſcendatis, & ſaltu in orcheſtram facto, noxias pietati, famae, eruditioni & arcae literas, quae humanitatis nomen mentiuntur, relinquatis. Quo non favore, quo non adplauſu me dicentem proſequemini, ſi oſtenderim, neminem veſtrûm ad aliquam nominis celebritatem aut fortunarum incrementum, ſive inter cerimoniarum antiſtites, ſive juſtitiae ſacerdotes, ſive ſalutis humanae cuſtodes, ſive ſapientiae magiſtros adſpirare poſſe, qui ſe noſtris ſtudiis inquinandum permiſerit. Ad quod probandum, non auctoritates & exempla, quae in obvia & domeſtica copia cumulare eſſet putidum, undique conquiram; ſed leviter per ſingulas diſciplinas pervagando, populari

&

& pervulgata argumentatione Acroaterii hujus adprobationem captare ſtudebo.

Omnium, quotquot ſint, doctrinarum principem & reginam eſſe coeleſtium rerum meditationem, nemo, qui quotidianis ſermonibus celebrari audit, diffiteri ſuſtinebit: Eamque jure ſuo primos honores occupaſſe, & reliquas, ut adminiſtras & comites, ex alto deſpicere, neque earum ope & adjumento indigere, niſi cum placuerit ancillas in partem vilioris operae & laboris vocare, in controverſiam vocari nequit. Faſtidioſa in primis domina cavere ſtudet, ne temere in ejus adyta & ſacraria irrumpatur, neque initiandi ſpem facit, niſi illis, qui mentem purgatam, & ſublimioris ſcientiae capacem ad ſacra ſua attulerint, non terrena faece pollutam, non humanis ſordibus contaminatam. Duo vero dominatricis diſciplinae principia & fundamenta, quibus tota nititur, à ſacrorum myſtis prodita eſſe accepimus; divinam primum auctoritatem, libris & tabulis, ab ultima antiquitate transmiſſis, conſignatam: ſummam deinde in divinae mentis & doctrinae interpretatione concordiam & conſpirationem, non quidem omnium, ſed pietate & doctrina illuſtrium virorum, qui in unum conducti, poſt diligenter exiſtimatam & omnibus momentis ſuis ponderatam Dei legem, cer-

tam & definitam publicae persuasioni prodiderunt regulam, ad quam omnia judicia dirigantur, qua vera & falsa dijudicentur; ultra quam citraque consistere nulli liceat; aut semel decreta refigere vel convellere permittatur. Ad haec duo facillima & expedita doctrinae capita qui studia & lucubrationes exegerit, numeris omnibus absolutus divinae sapientiae interpres habetur. Artes vero, quae ad humanitatem pertinent, licet variae doctrinae ostentatores in infinita membra concidere soleant, nos tamen hodie ad quatuor species revocabimus, Grammaticae primum & sermonis antiqui cognitionem, temporis deinde prioris & Historiarum scientiam, tum Eloquentiae exercitationem, Criticam postremo de omnium operibus dijudicationem. Quae singula & universa, non dico pernoscendi, sed delibandi etiam, humanae industriae spem esse desperatissimam omnes uno ore confitentur, & si jam ea esset ingenii vis & laboris vehementia, ut per eas procedere quis posset, minime tamen frugiferam esse, quae illis insumitur, operam, aut aliquid inde praesidii aut ornamenti sacris studiis accedere; sed disciplinae à Deo proditae, & concordibus suffragiis comprobatae auctoritatem praecipue inde convelli & labefactari, nunc erit ostendendum.

Trium

Trium vero, ut inde incipiam, gentium, Hebraeae, Graecae & Latinae ab eruditis linguae celebrari ſolent, quarum ſingularum cognitio non modo difficilis & laborioſa, ſed ab omni perdiſcendi ſpe depoſita & deſtituta. Si quis enim ad Graeci vel Romani ſermonis intelligentiam ita unice incumbere vellet, ut eam plane adſequatur, vita eum prius, quam labor & materia deficeret. Ridenda enim potius, quam confutanda eorum eſt gloriatio, qui tam ſcite, tam eleganter ſe utraque lingua ſcribere & loqui poſſe jactant, ut ſi in antiqua tempora redeundi, & Athenis vel Romae illis verba faciendi facultas daretur, non minores ſe Demoſthene vel Cicerone plauſus relaturos eſſe confidant. Modeſtius & verius de hodiernis conatibus illi exiſtimare videntur, qui eloquentiſſimos hodie, & nitore orationis praeter ceteros inſignes, tam barbaros, tam inelegantes prae antiquis eſſe cenſent, ut, cum vix milleſimam earum linguarum partem ſint adſecuti, neque vernaculam dicendi urbanitatem, neque veram pronuntiandi rationem pernoſcant, digni forent, ſi in Areopago, vel pro Roſtris os aperire auderent, qui mulierum & puerorum ſibilis exploderentur. Quae cum earum, quae nondum plane conticeſcunt, & quae tam expreſſa ſui veſtigia reliquerunt, linguarum ſit con-

ditio, quis tam improbus, ut umquam Israëliticae, plane emortuae, & quae praeter unicum veteris sermonis monumentum nihil nobis transmisit, cognitionem se adsecuturum speret? stultus ergo & inanis quicumque illis linguis, ultra prima elementa, à sacrae doctrinae studiosis labor impenditur, qui numquam ad metam attingere, aut attendentibus operae pretium persolvere possit. Sed demus eo vesaniae aliquem progressum, ut omnes adolescentiae annos in longa linguarum commentatione perdere voluerit, quid deinde, ubi ad divinae doctrinae meditationem accesserit, ornamenti, aut subsidii adferre poterit, nisi tenuem, & splendidum magis quam utilem apparatum, & quem nullo negotio aliunde mutuari potuisset? Architectos mihi & fabros respicite, qui stupendis operibus & substructionibus in admirationem ingenii & sollertiae spectatores rapiunt, an hi quoque tyrocinii, velociter labentis, annos inter eorum, qui servili opera ferramenta & fabrilia instrumenta fabricantur, sellas inutiliter consumunt? Immo vero recta potius se ad aedificandi & architectandi disciplinam adplicant, quam cum perceperunt, ex viliorum opificum tabernis necessariam arti suae supellectilem comportant. Imitemini, divinae sapientiae candidati, fabricatorum pruden-

dentiam, & temporis, rei pretiosissimae, jacturam metuentes, adventitiis & commodatis ex aerumnosa Grammaticorum officina copiis vires domesticas firmate. Nec Panico terrore trepidantes dubitate, ubi, periculo in literis & linguis facto, in sacrum ordinem cooptandi eritis, quin satis scientes prisci sermonis, satis literati, gravissimis patrum consessibus existimemini, si post aliquot hebdomadarum meditationem, adjumento Lexicorum & Grammaticorum, minutissimam sacri portionem legere & explicare vos posse ostenderitis. Hoc vero enavigato freto, hanc praetervectis Charybdim navem subducere, & tamquam in tutissimo portu, apud lixas & calones vernaculos deversari licebit, qui immensæ & redundanti praeconum turbae uberrima quotidianae loquacitatis pabula, & perennem concionandi materiam subministrabunt. Nec inutilem modo, sed noxiam in primis esse sanctissimae religioni elaboratam nimis linguarum peritiam, inter mystas est exploratum. Quid enim non audet, quid non committit profana Grammaticorum manus? Syllabas, verba, dictiones, universum Orationis ambitum, in omnes partes versare, nulli interpretationi, constitutae licet & comprobatae, acquiescere, jactare alienum stuporem, suam perspicacitatem, qua se plus

videre antiquis, & novam verborum vim primos eruisse gloriantur, pervulgata Paedagogorum est consuetudo. In Hebraico codice, unico dubiae & incertae linguae monumento, plurima esse sine exemplo vocabula; hominum, animalium, herbarum, utensilium, & nescio quarum rerum appellationes obscurissimas, & nemini perspectas; nullum etiam inter ea, quorum ratio certior esse creditur, verbum esse aut locutionem, quae non probabili disputatione diversum quid significare possit, acriter contendunt. Omnes ad hujus sepultae & obliteratae linguae intelligentiam aditus ita esse obstructos & impeditos, ut ipsi illi, qui Esra & primariis Synagogae antistitibus plus sapere videntur, interpretes, in Israëlitarum monumentis prae tenebris & caligine tactu potius quam sensu obversentur. Nihil ergo proderit ingenii ad coelestia evolantis vires puerili & inani occupatione deprimere, quae licet adsidua & vehemens, numquam ad confessam & apertam verborum obscuriorum & sententiarum explanationem studiosum perducet. Clamet ergo, & contendat impia fere & sanctae linguae inimica Grammaticorum caterva, eadem via in tabulis divinis, & vatum voluminibus interpretandis esse incedendum, per quam in Homeri aut Virgilii verbis exponendis Grammatici discipulos

pulos

pulos ſuos producere conſueverunt: & unicam verum, & qui ſcriptorum mentibus fuit obverſatus, ſenſum eruendi ſupereſſe rationem, quae ex vera origine & vi verborum, linguae olim vigentis ingenio, & uſitata loquendi conſuetudine initur: omnia illa ſubſidia in hujus linguae meditatione deeſſe nemo inſitiari poteſt. Aliam igitur & longe uberiorem, ſimulque facillimam, divinae mentis explanationem aperiant & oſtendant ſacerdotum ſcholae, quae non ex Grammaticorum obſcuris & controverſis legibus, ſed ex comparatione receptae perſuaſionis, & peraequa oraculorum proportione, Dei & ſacratorum voluminum mentem declarabunt. Ignoraſſe feliciter Hebraeorum linguam prima Eccleſiae florentiſſimae ſecula, quibus ſine ejus ope doctrinae certae dogmata fuere conſtituta, & repetitis Conciliis capita comprobatae religionis formulis numquam temerandis conſignata. Nec magis inſtructos ab Iſraëlitarum ſermone fuiſſe Latinae Eccleſiae antiſtites, eoſque nullo, aut exiguo cum Graecae linguae uſu, acerrimos veritatis propugnatores exſtitiſſe, & ſubſidio verſae in vernaculum ſermonem ſcripturae, diverſa ſentientes feliciſſime refutaſſe. Majus quoque & ardentius plebi & mulierculis injectum fuiſſe pietatis ſtudium, cum neglecta ſterili & ſicca verborum & ſententiarum inter-

pre-

pretatione, communes & pervulgatae veritates ex quibuscumque divini codicis verbis confirmarentur. Videatur hoc prodigio simile omnibus, qui his mysteriis non sunt initiati; verum tamen exitu & rebus deprehenditur, Academicae juventutis & plebis doctores, sine exquisita linguarum intelligentia, expeditius & promtius tenebricosas sacrorum oraculorum obscuritates & aenigmata enodare, & ad caussam suam trahere, quam qui omnem in excutiendis & versandis antiqui sermonis reliquiis aetatem contriverunt. Sudent, laborent, fatigentur, ungues rodant, & caput scabant Grammaticorum Coryphaei, scriptis, quae ex antiquitate supersunt, perplexis & ambiguis impallescant & insenescant, Vobis, divinorum responsorum interpretes, nec modo veteranis, sed qui vix prima elementa didicerunt, tironibus, benignitatem numinis sentire datur, & gratias immortales agere licet, quod tam uberes, tam redundantes scriptis vatum suorum infuderit sensus, ut iis in omnes partes versatis, quidvis inde effici possit. Tentet modo Grammaticus novam & ante non intellectam loci alicujus controversi & vexati interpretationem, illico ut profano, & irreligioso dirae & exsecrationes intentantur. Vobis vero, sapientissimi Epoptae, multiplices & di-

diverſas ad minutiſſimas ſacrati voluminis partes, & verſus conjecturas, quamvis ad regulas puerilis artis non ſint exactae, neque forte etiam ſcriptoris animo reſpondeant, ſi modo conſtitutae non adverſentur religioni, cumulare fraudi eſſe nequit. O inexhauſtum & numquam exareſcentem interpretandi fontem & ſcatebram! quae ad finem rerum conjectorum ora irrigabit, & induſtriam praeconum feliciſſimo proceſſionis augmento acuet & excitabit. Faceſſat ergo omne ſermonis priſci ſtudium, & cum tanta diligentia & religione in domeſticas divina oracula tranſierint linguas, ad eas addiſcendas, ornandas, & augendas, tota mente incumbite, coeleſtis ſapientiae candidati, & earum miniſterio in novae ſemper & admirandae doctrinae theſauros vos inſinuate; ita temporis, ita laboris, ita impenſarum ingens compendium facietis.

Sed quid diutius exilis & moleſta de vocabulis & dictionibus nos contentio moretur? ad res potius & facta adgrediamur, & quam difficile, quam inutile, quam calamitoſum fundo divino ſit hiſtoriarum ſtudium, quod per veteris aevi memorias, & omnium populorum annales pervagetur, videamus.

Quicumque ex vero, non venditandae mercis gratia, de Hiſtoriarum ſcientia diſputare inſtituet, certis

quibusſdam praeceptis viam futurae doctrinae praemunire debet. Nihil ſcilicet fide hiſtorica eſſe fallacius, nihil in rebus humanis incertius fateri non erubeſcat. Praemoneat nullum nobis, cujuſcumque ſeculi vel gentis, ſupereſſe ſcriptorem, cujus memoria non fuerit infirma, ingenium minime omnium doctrinarum capax, prudentia rerum civilium parum conſummata. Quoſdam amore patriae, aut ſacrorum à majoribus traditorum veneratione, ablatos, nonnullos factionum ſtudiis, aut credulitate à vero deductos. Multos famae & nominis cupiditate mirabilia magis, quam vera condidiſſe. Illos mercede conductos, hos animi & voluptatis cauſſa ſplendide mentitos; non paucos regiae Majeſtatis turpiſſimos aſſentatores, Principum facinora & ſuperbos dominantium mores heroicarum virtutum ſpecie velaſſe; contra libertatis & licentiae popularis patronos, prae immodico in reges odio, civitatium ſuarum faſtos falſis laudationibus vitiaſſe. Judaeorum fabulas, Graecorum levitatem & mendacia, Romanorum in praedicanda pietate & juſtitia bellorum, & in diſſimulandis omnibus, quae turpem Principi populo notam inurerent, infamen diligentiam; denique omnium nationum, aliis ſe priores & meliores jactantium, ambitionem numquam ſatis auditorum oculis & men-

mentibus exponere & denudare potest. Ita ut Historias qui docet & discit, ipsis illis, qui olim Pyrrhonis, aut nuper Cartesii scita probarunt, acrius contendere debeat, de singulis & universis, quae narrantur, factis esse addubitandum, donec certis & perspicuis indiciis se veritas producat. Ita imbutos & praeparatos adolescentium animos à primis humani generis conditoribus, per tenebricosam primum fabularum caliginem, deinde per ambiguas & dubias regnorum successiones, ad liquidioris fidei monumenta suspenso & cauto gradu quidem deducere magistrorum sunt partes: verum non tantum in obscuris & incertis, sed in auctoritate multorum seculorum comprobatis factis haerere; ad singula, quae suspiciosa videri possunt, consistere; ad minimum quemque scrupulum offendere; & dubitandi occasionem injicere; quid, quaeso, aliud est, quam ubi in divinis annalibus, electae à Deo, & à gentibus segregatae nationis seriem evolvere incipient, praemonere simul, non certiore fide Israëlitici populi, antiquissimi omnium, fata, quam reliquorum esse publicis literis mandata. Quid vero futurum, ubi Hebraeorum annales, quibus praecipua nobis est constituenda auctoritas, non semper cum peregrinorum fastis amice consentire audiverint? Ubi inextricabiles illi no-

di de Assyriorum, Babyloniorum, Medorum & Persarum dominatione juvenum animos implicuerint? nihil jam dicam de confusissima temporum doctrina, quae à quibusdam ad Hebraeorum, ab aliis ad Graecorum computationes exigitur, & tot spinis & sentibus est obsessa, ut si tota hominis vita in calculis ponendis & subducendis insumeretur, numquam ratio ad liquidum perduci, aut exitus ex labyrintho tam inexplicabili dari possit. His jam adde, quae non historiarum, sed in primis graviorum doctrinarum Professores publice praedicare solent; plurima ex praejudicatis opinionibus, non propriis, quibus artifices sua dogmata enuntiare solent, verbis esse expressa; sed sermone populari, quo specie rerum decepta, aut superstitionibus adligata multitudo inter se conferre solet. Rerum naturalium caussas, solis, & siderum cursus & motus, & similia, non ex decretis sapientum, sed ex incerta vulgi persuasione, & fallaci oculorum & sensuum fide saepe enarrari. De Deo, cujus vera vis & natura à nullo intellecta fuit, notiones humanis mentibus & corporibus similes informari; ejusque & administrorum, quorum etiam conditio & ingenium nulli est exploratum, praesentiam, licet veram & indubitatam, modo tamen nostrae menti non percipiendo ostendi.

Prae-

Praejudicare quidem illam & exemplum dare familiari Daemonum inter homines obambulationi, nihilque obesse, quo minus, imperante Deo, impuri illi spiritus se in cognitiones nostras insinuent; incredibile tamen morosis naturae interpretibus accidere videmus, damnatis ad aeternas tenebras & carceres Dei & hominum hostibus, majorem saepe vim & licentiam humanis actibus interveniendi, quam beatis & laetabili Dei luce & adspectu fruentibus Geniis, concessam. Quidquid vero de eo inter sapientiae humanae Professores disceptetur, hoc inter omnes, qui antiqua & nova rerum gestarum monumenta tractant, constare, omnes historicos, ubi de Daemonibus, prodigiis, ominibus & portentis, quae timidae plebis animos concutere solent, sententiam ferunt, per veritatis certae ignorationem in maxima opinionum inconstantia versari. Acutiores, & quibus res, aliis temere creditae, semper suspiciosae videntur, Daemonum species, larvas & nocturnas umbras, manes ex inferis excitatos, Magorum conjecturas, somniorum interpretamenta, inter plebis deliria & aniles fabulas referre; obtusioris vero ingenii, qui omnia fieri posse facile & pie credunt, quibus nec licet, nec vacat unamquamque rem examinare, non dubitare, quin Daemones, eorumque administri, Magi, au-

gures, conjectores, haruſpices, & ſacrificuli futura, ita volente Deo, habeant exploratiſſima; horumque omnium expreſſiſſima nobis in divinis paginis exſtent veſtigia. Somnia interpretandi diſciplinam, ſi non perfectam & certiſſimam, aliquam tamen fuiſſe. Auſpiciorum uſu quidem interdictum populo Iſraëlitico, non vanam tamen eorum fidem & auctoritatem diverſis gentibus, adjuvante ſuperſtitionem Daemone, nec intercedente Deo, fuiſſe. Functas vita animas ope Daemonum cieri & evocari poſſe, Samuelis ab inferis excitati exemplo manifeſto conſtare. Quae omnia infirmare & irridere, quid, quaeſo, aliud, quam adjuvare impiorum de ſacri voluminis certa auctoritate, & ſcriptorum ſinceritate & fide, ſuſpiciones? Haec fraudibus ſagarum, vel civili ſollertiae adtribuere, quid aliud, quam per ingenii liberioris, & nulli magiſtrorum addicti, cauſſam, ſe juſto alieniorem à fabuloſis narrationibus oſtendere? quid aliud, quam inſcitiam, temeritatem, impudentiam, & in novas opiniones, earumque auctores proclivem propenſionem prodere, nec modo profanis, ſed divinis hiſtoriis fidem abrogare; non argumentis pervulgatas opiniones refutare, ſed ipſam omnino religionem ex animis hominum delere? Quid aliud, quam verae religionis propugnatoribus

ribus omnia arma & tela eripere, quibus regnum illud vastissimum Daemonum & ejus satellitum evertere fortissimi athletae consueverunt? Cui bono & usui perplexa illa & ambigua oraculorum veterum responsa astutiae & avaritiae sacerdotum adsignare, & principem Daemonum de throno, quem, Deo permittente, posuit, deturbare? Nonne hoc est per infelicis tenebrarum principis latus Deum sauciare, & dum praedictiones Pythiarum & conjecturas Chaldaeorum & hariolorum impugnare se simulant, omnem divinarum vaticinationum vim & veracitatem infirmare? O intolerandam omnia infirmandi libidinem! O pernitiosam & exempli metuendi confidentiam! permitti forte in dijudicandis Graecorum & Romanorum ambitiosis narrationibus superbum fastidium posset, sed easdem de annalibus sacris suspiciones juvenum mentibus injicere, impium & exsecrandum. Nec tamen his finibus omnem historiarum veterum fidem evertentium temeritas consistit; sed quum odii publici & Eumolpidarum saepe metus sacrorum scriptorum obtrectatores cohibeat, omnem impetum vertunt in venerandos historiae Ecclesiasticae conditores, qui coetuum Christianorum dissidia & contentiones de doctrinae capitibus literis mandarunt. Non solum illis comparare gentium

tium impiarum & externarum hiſtoricos, ſed ideo fere praeferre ſolent, quia ferociores & infeſtis magis animis beſtias concurriſſe, quam Chriſtianos negant, & nullo diſcrimine aetatis, dignitatis, aut doctrinae, in conſortes ſine exemplo ſaeviiſſe narrant. Annalibus vero Chriſtianis fidem detrahunt, quia integerrimorum famam calumniis & mendaciis deformaſſe, & memoriam poſteritati deteſtandam reliquiſſe; nequiſſimorum vero, ſed qui vultu rigido & habitu acquiſito ſanctitatem mentiri didicerant, ſcelera & importunitates non modo diſſimulaſſe, ſed ipſos fallaciarum & ſcelerum architectos ampliſſimis laudibus elatos, coelo & Divorum ordinibus adſcripſiſſe, ſe probare poſſe arbitrantur. Praeterea in vulgus ſpargere non erubeſcunt, ſub infami impietatis & haereſeos, ut vocare ſolent, crimine, omnes, qui ſacerdotum dominationi ſuccedere, eorumque ambitionem, crudelitatem, & avaritiam adjuvare nollent, obruiſſe. Reges & principes, omni laude & admiratione praedicandos, ut monſtra, & à Deo generi humano & eccleſiae peſtes immiſſas, depinxiſſe; quia Epiſcoporum & Monachorum cupiditati modum imponere ſunt auſi. Parricidas vero, adulteros, gulae & ventris mancipia, qui leges divinas & humanas conculcarunt, ut exempla pietatis & omnium

vir-

virtutum propoſuiſſe, & immenſis praeconiis ornaſſe, quia, oppreſſa populi libertate, & cohibita diverſum ſentiendi libidine, vittatum ordinem divitiis & honoribus auxerunt, aedes ſacras, & nebulonum receptacula regiis vectigalibus inſtruxerunt. Quo non dolore commoveri, qua non indignatione irritabiles quidem piorum animos, ſed ardore in Dei & eccleſiae cauſſam inflammatos, effervefcere cenſetis, ubi quidquid miri, aut inauditi à Tertulliano, Euſebio, Oroſio, Sulpicio, & neſcio quibus, acerrimo propugnandae veritatis ſtudio incenſis viris, memoratur, irrideri & ludibrio profanis eſſe ingemiſcunt? Quis patienter ferat, tot veritatis teſtes, qui tyrannorum in inermem gregem ſaevientium crudelitatem fatigarunt, vel mente motis adnumerari, vel ex faſtis eccleſiae deleri. Quis Tiberii conſecrandi Chriſtum conatus, quis Hadriani templa Servatori excitandi propoſitum, quis Philippi Chriſtianam religionem profitentis pietatem, quis Fulminatricis legionis apud Deum potentiam, Thebaeae conſtantiam & pertinaciam, belle confictis fabulis accenſeri non iraſcatur? Quis Conſtantini, non tam religionis inſtauratoris, quam Senatus infulati locupletatoris, ambitioſam perfidiam, diſſimulationem, parricidalem furorum, & omnia, quibus peſſimi tyranni

in odia hominum incurrerunt, facinora in fraudem rei Christianae exquisitis illos maledictis insectari; Juliani vero, transfugae & desertoris, eruditionem, clementiam, frugalitatem, patientiam, fortitudinem, castimoniam, & omnes, quibus umquam laudari meruit princeps, virtutes in coelum extollere non stomachetur? Sed quis non exsecretur Historiarum Professores, qui ipsos Romanae urbis Episcopos, sacrilegos illos Pontifices, & juratos Dei & Christi hostes & adversarios, non modo atrocissimorum criminum, quibus eos purior Christianorum pars reos peregit, absolvere, magicarum artium infamiam ipsis detrahere, & pacti cum Daemone initi vanitatem irridere; sed, quod horrendum! ipsam ex Pontificalibus fastis feminam, & parturientem Papam eradere non erubescunt? Quid est si haec non praevaricatio, & caussam emendatae religionis adversariis prodere? Sed resisto; metuo enim, si ad propiora nobis tempora series me abriperet, ne insanientes illi veritatis, ut se vocant, adsertores & fabularum expulsores me vehementius conturbarent; & tot non modo incredibilia, sed aperte falsa & ficta, quibus aliter sentientium nomina sunt infamata, etiam hodie tradi occlamarent; & tanto factionum studio nostrorum etiam temporum Praesules saepe exardescere osten-

oſtenderent, ut ipſi, qui conventibus eorum interfuerunt, poſthac nec oculis nec auribus credendum, nihilque de rebus, quae inter diverſarum partium praeſides & antiſtites geruntur, certi & indubitati prodi, me cogerent fateri. Cavete ergo, ſanctiſſimae doctrinae ſtudioſi, ne obſtinata illa, nulli, niſi ſub certo & jurato teſte, credendi pertinacia & labes, quae jam omnes Hiſtoricorum ſcholas infecit, longius ſerpat; ſed ad vitae ſecuritatem, ad religionis cuſtodiam, ad pietatis incrementum, & in primis ad partes firmandas, & ad ſacri ordinis venerationem attinere putate, nullam ſcriptoribus ſacratis & eccleſiaſticis fidem aut auctoritatem denegare. Immo vero, cum illi ipſi, qui Hiſtoriarum ſtudia tanto opere & molimine commendant, unicam ex illis utilitatem & fructum redire fateantur, ut Hiſtoria ſit quaſi vitae magiſtra, quae fugienda & facienda doceat: quid, quaeſo, religionis intereſſe poterit, verane an incerta prodiderint nobis annalium conditores: cum ſufficere virtutum praeconibus & vitiorum diſſuaſoribus debeat, ſi ita fieri potuiſſe oſtendant. Eadem enim ex fabulis & commentitiis narrationibus, quae ex indubitatae fidei monumentis utilitas redundabit. Majori quoque ardore in pietatis, ſanctitatis, liberalitatis, & miſericordiae ſtudia exarſiſſe olim homines

conſtat, quam nunc, ubi tam anxie in vulgo credita inquiritur, & quondam pia fraude & religioſo dolo pleraque conficta eſſe apparet. Denique quid refert ex vetuſtate obſoletis voluminibus exempla virtutum & ſcelerum repetere, cum ſacris oratoribus ingentes diligentiſſimorum virorum theſauri hodie ad manum ſint, qui undique flores carpſerunt, & tantam ex veteris & recentioris ævi ſcriptoribus materiam & ſilvam congeſſerunt, ut inde populo pro concione in longiſſimum tempus ſatisfieri; & animi vulgares ad virtutes imitandas, vel flagitia vitanda incendi poſſint.

Profligata jam levi illa & incredula Hiſtoricorum turba, quam facili manu ventoſae eloquentiae, & garrulae loquacitatis patronos diſpergam & diſſipabo? Quae non tela contra lubricae & volubilis linguae jaculatores ex ipſo ſacri Codicis armamentario depromere, quibus à templis & ſacris eos repellam, liceret. Sed, ſi non ipſe doctrinae ſalutiferae Conditor, & apertiſſimi ejus Comites & ſectae Antiſtites, populares, & ab omni fuco nudos ſermones nobis prodidiſſent, ipſa religionis ſimplicitas & ſanctimonia, ſatis in doctrina ſua ad perſuadendum facultatis, ſatis in argumentis ad conciliandos animos gratiae, ſatis ad agendum ſplendoris ſe adferre poſſe admoneret. Quid juvat, inani verborum

rum apparatu ſacra aperta nec recondita involvere? quid lenociniis linguae ad myſteria populo & vulgo jam recluſa auditores adlectare, quos ipſa Dei vis, & efficax doctrinae potentia trahit & impellit? Quid Eloquentiae & Rhetorum praeceptis divinos oratores enervare, quibus coeleſtis in dicendo ardor robur addit, & demiſſus ex alto ſpiritus inflammat? Natura, aliis noverca, huic ordini benigna mater, jam naſcentibus eloquentiam induit, & abſque ulla exercitatione, modo loqui incipiant, diſertos eſſe jubet. Quae inſania, quis furor, deſtinatam divino praeconio juventutem, profanis dicendi magiſtris formandam tradere? qui tam arduum, tam longum eloquentiae ſtudium eſſe mentiuntur, ut vix toti ſeculo unus eloquens evenerit; neque ex omni temporum memoria praeter tres quatuorve ſumma dicendi laude florentes, proferre poſſint, cum tamen unuſquiſque eorum ſe optimum eſſe oratorem ſibi perſuadeat. Quam abſonum, quam abſurdum ergo deſperatae illorum judicio laudis gloriam conſectari, & hoc Academicum ſpatium (quod tam laudabili celeritate tribus, ſummum quatuor, annis decurritur) inutili labore ideo interrumpere, ut ne mediocres quidem, aut tolerabiles oratores cenſoribus acerbiſſimis judicentur? clament, quantum velint,

rauci facundiae inſtitores, ineptum eſſe & inconcinnum, omnem vitam publicis concionibus deſtinare, neque umquam dicendi leges percepiſſe: opponant nobis artificum exempla, quorum nemo in collegia artes profitentium, niſi tyrocinii rudimentis depoſitis, recipitur. Sacrae eloquentiae candidatis hoc praecipui natura, quid dico naturam? divina largitur benignitas, ut quoties velint, eloquentiam incredibilem exſerere, & neglectis vaniſſimae doctrinae praeceptis, non tantum plebi admirabiles, ſed regibus & magiſtratibus terribiles oratores evadere poſſint. Quoties non, agitante illo, qui intus eſt, Spiritu eorum corda & pectora incaleſcere, brachia jactari, manus complodi, pulpita feriri, capita rotari, ſpumas in ore agi, oculos ardere, corpus & membra contorqueri, & vultus in omnes formas variari ſacro cum horrore ſtupemus? quis non erectis auribus in compoſitos ad dicendum praecones oculos intendit, & rigido primum vultu lacunaria intuentes, & è coelo ſermonem evocantes, aut clauſis oculis totos in ſe deſcendentes, veneratur? mox robuſtiſſima voce templa ſpatioſiſſima implere, modo teneram & flexibilem, &, in quodcumque torqueant, ſequacem frangere & modulari: nunc palato molliter illidere, interdum ranciduli quid

quid balba de nare tenuare: aliquando flebili suavitate plorabile quid eliquare: nonnumquam jucundo & amabili sono aures mulcere: saepius vero lentissima vocis exilioris productione se in animos insinuare, obstupescit? Quis mentis suae compos, & non simul cum pullato grege attonari se sentit, ubi vario clamore, cantu, fletu, risu, gemitu, tussitu, screatu, se turbari & in omnes, quas vult Orator, partes versari experitur? Naturalia haec, vel ut verius dicam, coelestia eloquentiae dona, non fictore vultus aut membrorum, non praeeunte Phonasco adsimulata, sed sua sponte nata & usu aucta, aliam dignitatem ecclesiasticæ cathedrae, & religioni auctoritatem conciliant, quam compositi illi ad exempla & dictata Histrionum motus & conformationes membrorum. Excitent & inflamment actionum mollitia effusas in omni intemperantia libidines in scena Mimi: teneras etiam puerorum, & virginum mentes ad turpium amorum meditationem motibus Iönicis incendant saltatores; numerosa & effeminata oratione adolescentes corrumpant Academici declamatores: arguta & veteratoria loquacitate in perniciem clientium, & ad pervertendos judícum animos armentur caussarum patroni; vos, coelestis eloquii potentissimi oratores, nudam & à Deo commodatam eloquentiam ad ho-

hominum salutem conservandam, & nefariorum impetus refutandos, sine alicujus invidia exercete.

Quam gravia A. quam funesta ex Linguarum, Historiarum & Eloquentiae meditatione in sacram doctrinam redundent incommoda, audivistis; sed omnia haec ludus & jocus videbuntur, prae letalibus, quae detestanda religioni Critica vulnera imponere non veretur. Haec tyrannidem adfectans, superbissimam sibi adrogat censuram, & tribunal insolenter erigit, ad quod omnes, qui ex tristi literarum naufragio & ruina, vel integri vel dilacerati evaserunt, scriptores, quasi nihil passi essent, obtorto collo rapiuntur. Ausu profano, nullo delectu, importuna haec dominatrix, injecta sacris manu omnia temerat, & polluit. Nec vindiciis adsertorum, nec Pontificum aut Conciliorum decretis, nec praejudicatis Principum aut Magistratuum sententiis cohiberi potest, quin, prioris status controversia omnibus mota, hunc peregrinitatis reum agat, huic, ut dubio parente edito, natales ambiguos faciat, illi, licet patrem adsignet, formam tamen & habitum fucis & mendis inquinatum esse calumnietur. Denique omnes, quotquot supersunt, libros corruptos, deformatos, & interpolatos caussando, pro libidine sua addendo, delendo, emendando ita vexat & excarnificat, ut si ab inferis emer-

mergerent auctores, foetus suos non agnoscerent. Per vos A. me non dicente, cernitis, quam exitiosum hoc sacris codicibus sit opus censorium. Quid enim? doctus Criticus & adsuetus urere & secare, inclementer omnis generis libros tractare, apices, syllabas, voces, dictiones confodere & stilo exigere, continebitne ille ab integro, & ante hanc haeresim natam intaminato, divinae sapientiae monumento crudeles ungues? O animadvertendam audaciam! o suppliciis aeternis constringendam perditorum hominum temeritatem? Tune, confidentissime alieni operis vexator, divina Moysis & vatum, inspirante Deo verba & sententias scripta, & invigilante ejus integritati diligentissimo Pontificum collegio, conservata monumenta, eodem mentis habitu, eadem arrogantia, qua Herodoti, qua Livii aut Taciti pulverulentos & exesos codices versabis? Tu, eodem fato omnes premente libros, vilissimas librariorum operas, quae Graecorum & Latinorum volumina, lucri studio properata, venalia proponebant, sacris Scribis, quorum manus & calamos non minori cura divina gubernavit providentia, quam scriptorum mentes, ne in ulla litera vel vocabulo peccarent, comparabis? Tu, vitio create Censor, ut omnia labefactes, insignes meritis & fama viros, qui renatis literis &

instaurata religione, primi typis descripta sacra oracula in vulgus emisere, in depravatos codices incidisse, & infinitis mendis maculatas editiones nobis prodidisse adfirmabis? Tu, quo major codicum manu exaratorum copia reperiatur, & variarum lectionum numerus magis crescat & augeatur, eo certius & securius Criticos legitima & vera verba adserere, & spuria ejicere posse, contendes? Quanto ad quietem publicam ecclesiae, quanto ad persuasionem vulgi stabiliendam adcommodatius, si confidentiae huic modo imposito, receptae semel, & probatae per eos, qui in vernaculas linguas verterunt, scripturae acquiescere, omnes etiam eruditissimi juberentur. Providendum est & occurrendum invalescenti & vires jam maximas, etiam inter ipsos sacrarum literarum doctores, adsecutae pesti: coërcenda Criticorum infrenis temeritas; adigendus, quicumque sacris ordinibus initiatur, sacramento, ut conjuncta cum consortibus opera adulteratores sacrorum voluminum diris & exsecrationibus devovere ne pigretur. Munienda sanctionibus & poenis in vernaculas transfusa linguas divina oracula: videndum omnibus, summis, mediis, infimis antistitibus, ne res Christiana detrimentum capiat. Utinam felix illud, & desideratum votis tempus adfulgeat, quo, ut plebi securitatis exemplum praebea-

beatur, nullus inter ſacros interpretes reperiatur, qui vel Hebraeos, vel Graecos, tot diſcrepantibus lectionibus deformatos, codices reſpicere aut tractare dignetur: ſed, ut ſtrenue jam facere coeperunt, omnes ita domeſticis commentatoribus & interpretibus adhaereant & adquieſcant, ut nullus poſthac depravandae doctrinae ex Criticorum audacia metus ſuboriatur.

Satis multa jam mihi, & nimia fortaſſe vobis, feciſſe verba de labe & contagione literarum humaniorum videri poſſem, niſi plurimos inter dicendum capita contuliſſe & admurmuraſſe animadvertiſſem, qui fortaſſe me neſcio quid omiſiſſe indignabuntur: & licet optimas ſectae meae partes me profligaſſe & evertiſſe gaudeant, aliquid tamen ex peſtifera humanitate, magis noxium & calamitoſum, ad otioſi temporis oblectationem integrum mihi reſervaſſe ſuſpicabuntur. Nullam ſcilicet Poëtices à me in recenſione damnatarum artium rationem eſſe habitam: quam ideo me forte ſilentio praeteriiſſe alter alteri inſuſurrant, quia, cum aliarum diſciplinae meae partium laudes numquam potuerim adſequi, deterritus laboris & operis difficultate, me cum multis ad carminis facilitatem contulerim. Sed, ut verum fatear, A. hanc in artes, mihi olim mirabiliter adamatas, orationem molienti, idem e-

venisse, quod omnibus, qui Poëtices illecebris & suavitate fascinantur, evenire solet, deprehendi; Nec me, licet omnia facerem, & juventutis ille calor deficiens saniora suaderet, amabilem illam insaniam odisse aut relinquere posse, sum expertus. Utinam gravem illum & molestum, ut appellant, Deum pectore meo excutere! Utinam ex animi sententia & efficaci oratione, vobis, quotquot adestis, Poëtae & Poëtastri, persuadere liceret, nihil stultius, nihil à communi hominis sensu alienius esse versificatore. Sed cum insanabilis ille per omnium hominum ordines, aetates, & sexus ita pervaserit morbus, ut facilius olori nigro, quam homini occurras, qui non aliquando dementiam suam in versibus faciendis declaraverit; & cum in primis hoc insaniae genere venerabilis antistitum ordo ita antecellat, ut plura ab illis, quam ab universo hominum genere, effusa numerentur carmina, quid inhumanius, quid durius, quam hanc à me mihi & illis voluptatem extorqueri? Noceat licet morum integritati, corrumpat vitae sanctitatem, augeat à natura insitam fingendi & mentiendi libidinem petulans poëtici ingenii luxuries; capiant furiosi vates supra modum & fidem loquendi consuetudinem; dediscant mortales humane loqui & cogitare: relinquatur tamen viris gravibus & severis, qui

se

ſe à vino & comiſſationibus, ab alea & omni ludicrorum genere, tamquam à nefaria temporis jactura ſegregarunt, haec unica otioſi temporis oblectatio. Blandum vocent & furtivum, quibus eſt vena malignior, venenum, quod ſe tacite & occulte per omnes vitae & muneris partes diffundat; non invideamus tamen ſacris oratoribus, quos à liberae eloquentiae lenociniis excluſimus, hanc unicam ſui admirationem commovendi facilitatem. Conſueta & contrita plebejo uſu vocabula in puerorum praeceptoribus; communem dicendi normam in lectoribus & cantoribus; ex praeſcripto recitandi ſententias vulgatiſſimas facilitatem in aegrotorum & miſerorum conſolatoribus, laudemus. In infantibus, mulieribus & idiotis, ab omni Poëticae laetitiae ſenſu alienis, quotidianas & certis conceptas verbis precandi formulas, quae, ad faſtidium uſque & ſatietatem repetitae, ad patrem noſtrum in coelo temere ejiciuntur, toleremus. Vos, Deorum ex ſanguine generati Poëtae, quos aurea coelo connectit catena, & à limoſa terra ad aetherios ignes pennarum remigio ſublimes rapit Piërium & Phoebeum oeſtrum, allegetis potius ampliſſima verborum dignitate commendabiles preces & vota, ad tremendam numinis inacceſſi majeſtatem, ad terribilem agminum & exerci-

tuum Deum, qui lucem mortalibus non adeundam habitat; qui in excelſiſſimis coeli palatiis domicilio collocato, nubibus volucribus & nimboſis, ut ſolo inambulat, illiſque ut curru triumphali, per aëra invectus, eiſdem ut magnifica & ſplendenti veſte amicitur; Qui caput lumine, cujus adſpectum nemo ſuſtinere poteſt, radiatum, velut flammanti diademate circumdat. Qui regalem & coruſcantem thronum poſuit in ſupremis coeli tabulatis, pedibus vero terrae ut ſcabello innititur, & ſolo ingrediens caput inter nubila abſcondit. Cujus ſolium centies & millies centena millia ſatellitum, & innumerabilis miniſtrorum frequentia ſtipat. Cujus gloriam piceae noctis denſiſſima caligo, & rutilantis diei lucidiſſimus ſplendor, ſiderum & ſtellarum exſultantes chori, mirifico concentu enuntiant & enarrant. Cujus horriſona voce coelum, terra & maria concutiuntur & tremiſcunt. Ex cujus ignivomo ore flammae omnia devorantes emicant. Ad cujus denique tonitrua montes ſubſidunt & eliqueſcunt. Hunccine ego animae humillimae & ad terram ſemper adfixae ſubitum in altiſſima volatum deprimerem, qui toties ad Poëtas dithyrambicos me adgregare ſtudens, vertice ſublimi ſidera pulſare adfectavi? Hanc in precando pompam & magnificentiam Poëticam gravarer, qui ſae-

ſaepiſſime inter tot ſonora Dei cognomina, & cumulatos, quot neque in Orgiis Baccho Maenades inclamabant, titulos, tanto horrore perculſus obſtupui, ut omni ſenſu orbatus, quid deinde reliqua precatio, non minore ſpiritu eructata, à Deo tam horrifico contenderet, plane non intelligerem? Egone his deliciis à puero infatuatus, in Poëtico buccinatore voces nova forma percuſſas, & ſeſquipedalem in modum ita extenſas, ut vel una aurem implere poſſit, reprobarem? Egone innutritus figuris, & tralationibus audaciſſimis, à grandiloquentiſſimo praecone non omnem verborum vilitatem & ſententiarum humilitatem ad plebem delegarem? Immo vero ego adhuc in Homeri, Virgilii & Naſonis mei elegantiis haerens, & circa verborum corticem oberrans, à divinis vatum interpretibus diſcere dedignarer, qua via & ratione in abdita & abſcondita ſub vocabulis myſteria penetrarem? Quis enim noſtrum, qui ſine ulla religione Poëtas tractare ſolemus, ſuſpicari umquam potuiſſet, niſi poëtici divinae doctrinae antiſtites praeiviſſent, longe alia fuiſſe Trojanae & Romanae urbis fata, quam vel vulgus ex commentitiis & abſurdis fabulis, vel doctiſſimi interpretes ex Heraclidae Allegoriis, vel Fulgentii Continentia Virgiliana ſibi finxerunt? Quis adfirmare umquam

ausus fuisset, Israëliticae & Christianae ecclesiae imaginem, Iliade, Odyssea & Aeneide adumbrari? Quis, nisi gravissimi omnium temporum Praesules praemonstrassent, in animum inducere sustinuisset, Virgilium in divina illa Ecloga quarta, sub Salonini nomine, Christi natales, & temporis beati reparationem praecinuisse? Quis Ovidium in elaborata illa, & omnibus coloribus expressa aurei seculi tabula, depinxisse principis humani generis Adami integritatem & excellentiam? Perpetuum illud & aeternum ver, pulcherrimam in viridario coelesti semper florentis innocentiae esse effigiem; cujus spatium cum Jupiter, labente in deterius homine, contraxerit, & annum in quatuor tempestates descripserit, quatuor simul omnium, quibus duraturus est orbis, temporum decursus praesignificasse. Ver jam imminutum, brevem illum & caducum humanae felicitatis florem; Aestatem ipsi proximam, inflammatum in omnes libidines & flagitia hominis aestum; Autumnum, maturitatem & plenam, per frugiferum Servatoris adventum, ubertatem; Hyemem denique ultima illa, quae nunc vivimus, tempora, quibus omnia pietatis & sanctitatis studia frigent & conglaciant, designare. Jovem in terras delapsum, ipsam exprimere Dei tremendi praesentiam, qua Lycaonem, Cainum

no-

notum feritate parricidam, ejusque sequaces, lupos verius quam homines, dignis suppliciis adfecit; vel potius, quia sub humana imagine terras lustrasse canitur, esse verissimam Christi figuram, qui inhospita luporum, id est, ipso interprete, Pharisaeorum & Scribarum tecta subierit. In Deucalione Noachum, in Apolline, mundi oculo, omnia illustrante, & serpentem immanem, oracula divina obsidentem, telis conficiente, praenuntiari solem Justitiae Christum, lucem omnibus gentibus salutarem, medicum simul desperatae salutis hominum, & sibi adversantium perditorem; qui antiquum illum anguem, Daemonum principem, telis justitiae & verbi sui interemit. In tripode Christi corpus, humanam naturam, & divinam potentiam; in cithara, quae chordis tenditur, nervos Christi in cruce expansos, quibus tristes & damnati mortales exhilarantur, latere. Totam denique, ne singula evolvam, Metamorphoseôn seriem esse manifestam praeteriti & futuri temporis designationem; & longe aliud quid, quam literae & verba indicant, notare; & in Nasonis non minus, quam in Cajaphae mentem vaticinandi vim se insinuasse. O incredibilem acuminis Poëtici vim! O stupendam veri per tot umbras & nebulas perspicientiam! O inexhaustam inge-

niis acuendis materiem! quae in minutissima sacrorum vatum carmina immensae molis & ponderis commentarios nobis quotidie producet. Tene ego sacris concionibus ejectam, tene ego ad otiosos & nugaces versificatores relegatam vellem? Immo vero, cum tam benignam te mihi, tam facilem hodie te, diva Poësis, omnibus praebeas, ita precor, ita voveo, ut dulcissima insaniae tuae omnibus in Academiis, templis, concionibus, coetibus, libris & sermonibus vestigia impressa relinquere ne desistas.

Sed mittendos tandem majorum gentium Doctores, tempus, quod prae furore nihil sentienti fere effluxit, admonet; & satis jam mihi divinos vates propitiatos, aeternamque me ab Antistitibus, quod tam liberali animo meas ipse damnaverim & ejuraverim artes, gratiam iniisse confido. Major mihi & justior à conscriptis Juris prudentum Patribus metus injicitur: non enim ea docilitate, qua divini juris interpretes celebrantur, humanarum legum sequestros censeri novi. Principatum etiam inter illos tenere non ignoro, qui praefracte & pervicaciter, omnia humanitatis studia juris scientiae indissolubili nexu socianda esse, pertendunt; nec facile hoc Palladium, aut Diomedea vi, aut Ulixeo dolo sibi eripi patientur. Immo familiam inter eos ducere

scio,

ſcio, qui non modo hiſtoriae veteris lumine obſcuras legum latebras ſemper eſſe illuſtrandas, ſed ipſum juris Romani ſtudium (en quo pervenimus!) nobiliſſimam antiquae hiſtoriae partem eſſe diſcipulis perſuadere conantur. Quos neque Papiniani dignitas, neque Ulpiani auctoritas, neque ipſius Juſtiniani, glorioſiſſimi imperatoris, majeſtas deterret, ut à ſacratiſſimo legum codice Criticas manus abſtineant; qui in ſingulis literis, verbis, & interpunctionibus dies noctesque habitantes, ſua opera omnes formoſiſſimi corporis mendas elui poſſe jactant. Hos tacitus praeterire decrevi; deſperatis enim medici negant remedia eſſe adhibenda; & ipſe praeter modum extimeſco, ne injecta manu me, non modo ut emanſorem, ſed ad viliores artes transfugam reprehendant, & interdicto mecum contendant. Sed ſi jam Academiis excludar, ad forum viam obfirmabo, ubi facile legulejis & pragmaticis, qui glorioſae vocis ſubſidio miſerorum fortunas defendunt, perſuaſurum me puto, ne lucroſam illam & honoratam artem per ingenuarum contagionem extabeſcere, & ad mendicitatem projici patiantur. Nec tamen omnis ſpes ita evolavit, ut nullos ex Academicis patribus in partes trahere deſperem. Contractae certe & compendiariae Juriſprudentiae doctores, ſi jam non mei

ſint, nullo negotio conciliaturus eſſe videor: hos e-nim, cum ad nudum linguarum & Eloquentiae nomen toto corpore exhorreſcant, & ſua ſponte nullam umquam humanioris diſciplinae partem attigerint, & omni conatu diſcipulos ab ea dehortentur, exſultaturos ſpero, ubi inter ipſos literatores, me facilitatis & laborum fugae patronum ſe reperiſſe triumphabunt. Hos, ſi à Graecae linguae uſu deterrere vellem, idem foret, ac ſi, ne Lapporum aut Finnorum linguam, unde nullum ſperari poteſt lucrum, addiſcere vellent, rogarem. Si promptis & ad quotidianam garrulitatem paratiſſimis magiſtris, munditiem & exactum ſermonis Latini nitorem commendare vellem, non plus proficerem, quam ſi Sarmatas & Pannonios à Gothicae vel Langobardicae linguae facilitate ad Ciceronianam dicendi moleſtiam transferre conarer. Ad eloquentiae ſtudia, & dicendi ſcribendique exercitationem, vos, Juris breviſſimi candidati, excitare nihil attinet; cum ex hac Academica cavea evolantes, non humanos ſonos edere, ſed picarum ritu conviciari, aut canina verba latrare; nec ſincero, ſed cum omnium gentium & nationum fecibus commixto, ſermone chartas inquinare promtiſſime diſcetis. Ad Hiſtoriarum & veteris memoriae immenſa ſpatia vos excurrere juberem? quorum ipſi

ma-

magiſtri, & ſecurae navigationis gubernatores, numquam ratem Juris Oceano, in quo tot brevia, tot ſcopuli, committere ſunt auſi, ſed clauſis in piſcinis, & lacubus, cymba tantum ludere cum diſcipulis conſueverunt. A Critica temeritate non modo Profeſſores, omnem dijudicandi vim conviciis proſcindentes, ſed in primis recocti in foro proclamatores vos facile revocabunt, qui exſecranda Criticorum capita tot diris devovere ſolent, eoſque quotidiana criminatione falſarum & corruptarum tabularum ex Lege Cornelia reos agere non deſiſtunt. Qui judicum auribus occlamare non pigrantur, Criticorum audacia leges, quae certae & definitae eſſe debent, convelli & everti; omne jus, bonum & aequum deleri, &, niſi modus huic temeritati imponatur, brevi omnia jura dubia, incerta, & judicum religionem ſolutiſſimam fore, non vane ominantur. A Poëtico furore illos, qui praeter alios Prudentes appellari adfectant, retrahere nihil eſt negotii: Ab hoc enim mentis vitio alieniſſimi ſemper habiti legum conditores & interpretes, qui, cum omnem ingenii vim & mentis aciem in enodandis legum laqueis, in torquendis in cauſſam ſuam Principum & Senatuum decretis, in prudentum reſponſis dubiis & perplexis excutiendis, obtuderunt & conſumpſerunt, nihil fere ſibi

caloris & impetus effundendo carmini supereſſe deprehendunt. Nam ludere & jocari eos, inter facilioris Jurisprudentiae doctores, credatis, qui Poëticam & Poëtarum veterum meditationem Romani juris ſtudio ſociandam eſſe clamant. Ne credatis ex animi ſententia, res tam diverſas, & tam longo à ſe ſpatio disjunctas illos in unum velle conducere; ſed haec, dicis cauſſa, ut ipſi amant loqui, & quia aliud, quod dicerent, non habebant, in populum ideo effundere, ut glorioſis illis literarum & eloquentiae magiſtris vices reddant: ſolent enim illi, ventoſo Cicerone non minores ſpiritus gerentes, ſe quoque triduo profiteri poſſe Juriſprudentiam, praedicare. Non abſurde ergo, nullis umquam ſacris Poëticis initiati, ſed callidi juris ſcholaſtici interpretes, ſe quoque, ſi ſtomachum illis literatores commoveant, repente invitis Muſis, Apolline irato, Poëtas prodire poſſe, oſtentant. Nam tritam illam literatis ad carmina viam numquam ingredi dignatos, nec vanam Poëſeos laudem & gloriam eos vehementer adfectare, verſus domeſtica incude effecti, & metu legis Fabiae, nullo colore antiquitatis tincti, aperte declarant. Relinquite ergo, & velis remiſque fugite, Themidis aureae alumni, pannoſas famelicorum artes, & ad quaeſtuariam cauſſidicinam (ignoſcite

ver-

verbo vobis vernaculo) omnes nervos intendite, mihique, quod tam fructiferi & salutaris consilii auctor exstiterim, vel potius compendiorum inventoribus, qui vos uno saltu ex ludis literariis in amplissimam curiae & fori lucem transtulerunt, aeternas gratias debete.

Si vero ab ullo eruditorum ordine mihi gratia sit ineunda, vester, o salutis humanae praesides & conservatores, favor & benevolentia accuratius nunc mihi esset concilianda. Et nisi ambitio, qua me tam studiose in priorum classium amicitiam insinuare tentavi, tempus eripuisset, longa oratione tam sedulos salubritatis nostrae custodes delenirem. Ostenderem, nihil esse importunius, nihil crudelius molestis illis literarum magistris, qui incolumitatis publicae vigiles ab operosa illa arte, quae nec dies otiosos, nec noctes quietas concedit, ad nugaces & vitae humanae inutiles doctrinas avocare student; & humanitatis commentitiae Professores, qui sectae suae otiosis oblectamentis occupatissimos interpellare instituunt, non de illis modo, sed de universo orbe pessime mereri. Vacabitne vobis, Aesculapii & Hygiae sacerdotes, quibus nec ad cibum, nec ad somnum capiendum tempora supersunt, ad Grammaticorum tricas oculos adjicere, ad pueriles de

vo-

vocabulis, & ridiculas de minutissimis rebus contentiones mentem adplicare? Novi multos Graeci sapientis dictum jactare, *si non essent Medici, nihil ineptius Grammaticis fore.* Sed si quid salis, aut veri in trito dicterio insit, in eos unice Medicos, qui inutilibus artibus eruditos se ostendunt, congruere existimo: & nihil ineptius esse Medico, linguarum docto, eloquentiae studio se efferenti, in Historiarum scientia curioso, & Poëtices illecebris depravato, consentire possum. Quicumque enim duo certissimae artis principia & fundamenta, jam ab Hippocratis aevo jacta, Rationem & Experientiam esse fateatur, illico & facile ineptissimum esse medicum, qui ullam temporis partem in humanioris studii meditationem insumit, negare non sustinebit. Ad rationem excolendam & perpoliendam, quid, quaeso, artium, quibus nulla constat ratio, studia conferre possent, cum & surdorum & mutorum mentibus incredibilem sollertiam ingeneratam miremur? ad usum confirmandum, quid confusa & imperfecta linguarum cognitio faciet, cum indoctissimos & rudes aptiores sanandis morbis vulgo judicari, & longa remediorum experientia famam & auctoritatem sibi invidendam constituere, quotidie videamus? An cariosa veterum monumenta, humani corporis machinam,

nam, ejusque infinitos artus & membra, quae manu tractare, oculis scrutari debet medicus, pernoscenda dabunt? an improba & vehemens librorum lectio, usui & experientiae, quae ipso opere & exercitatione confirmatur, copias ministrabit? An peregrini sermonis ubertas, morborum consequentia principia & caussas, earumque progressus docebit? an haec omnia non potius memoriam, fidelissimum illud omnium artium adjumentum, infirmabunt? Si enim Medicinae cultor per omnem vitae cursum nihil ageret, nisi morborum, vitiorum, seminum, herbarum, radicum, metallorum, medicaminum, potionum, & infinitae supellectilis, quibus tabernae & apothecae armantur, nomina edisceret, centesimam illum partem vix exhaurire posse constaret. Quis ergo, nisi molestus paedagogus, flagitaret, ut plenum jam & constipatum illum thesaurum immenso omnium linguarum & vocabulorum pondere magis magisque oneraret? Quis congerere eodem reliquias veterum populorum, regum & ducum res gestas, opera belli & pacis, leges, mores & instituta, sacras, civiles & militares antiquitates juberet, nisi qui occidere conservatores generis humani vellet? si quid vacui in tam sani cerebri hominibus remaneat, magna satis quotidie novarum pestium & remediorum multi-

tudo emergit, quorum omnium appellationes qui in ore & mundo habere poteſt, nae ille ipſum Simoniden memoriae divitiis provocare poteſt. Eloquentiae magiſtro ſe formandos traderent Medici, qui mutas & elingues per omnem aetatem ſe artes exercere profitentur: quorum mentibus veriſſimum illud ex Apollinis tripode reſponſum ſemper obverſatur, non verbis, ſed manu, non ſermone, ſed opere morbos ſanari. Quam invidenda vobis, illuſtres Phoebea arte viri, dignitas contingit? quam longe oratoribus, & ceteris eruditorum ordinibus antecellitis? His nulla auctoritas, nullum pondus, niſi quod magno verborum ambitu & pompa conciliant: vobis ſine ſermone, etiam antequam loqui incipiatis, fides habetur. Ubi vero os aperitis, non homines verba fundere, ſed praeſentes Deos oracula edere, omnes nobis perſuademus. Mercurium, facundum Atlantis nepotem, eloquentiae parentem & conditorem, quem primum voce homines formaſſe Poëtae jactant, vobis ſolis, etiam ſine linguarum ſacrificio, propitiare datur. Caduceum, inane illud & inefficax blandae & fallacis orationis argumentum, algentibus oratoribus porrigit; vobis, ingentium divitiarum ſponſor, extenſa manu & inclinato corpore gravem nummis crumenam jactat & oſtentat.

Va-

Vafrum Deorum & hominum interpretem, aureos montes myſtis ſuis pollicentem, vos, Hermeticorum arcanorum antiſtites, veneremini. Huic in triviis, quae pererratis, huic ad januas & thalamos, ex quadrato marmore ſtatuas erigite. Huic Deo arae perpetuis ignibus collucefcant, votis & precibus nuncupatis; ut artes, ſtrophas, & honeſta furta, ingenii & ſollertiae certiſſima documenta, ſine invidiae aut calumniae metu fortunare velit. Minervam, non bellatricem, aut haſta & Aegide terribilem, non lucubrantibus infauſtum noctuae comitatu omen, ſed Cecropiam, Medicam & Hygieam, quae, projecto ſcuto, depoſita cuſpide, ablegato bubone, Aeſculapii inſignibus decorata, & ſerpentis ſibilis blanda & indulgens, nihil agentibus, immo dormientibus remedia monſtrat, adorate. Mendicantes Muſas, & anili virginitate, quia dotem & maritos reperire non potuerunt, deſpicatiſſimas puellas, ut peſtes, vitate; & ipſum Poëtae titulum cane pejus & angue odio habete, ne imperitum vulgus magicis carminibus Daemonia, corpus humanum infeſtantia, expellere vos calumnietur. Sonora & numeroſa harmonia & concentu ſe hominum mentes faſcinare Poëtae ſtultis perſuadeant; vos chori Clinici quotidianam miſerorum auribus cantilenam inſuſurrate,

quae certissima salutis spe facta, ex tenacissima Euclionis arca nummos excantet. Secessus & sola loca, in quae, ut insaniam atra bile commoti Poëtae augeant, & miserias montibus & sylvis tenera & delicata querela narrent & deplorent, se abdere solent, effugite. Museum, in quo, ut claudi sutores, totos dies sterilium artium cultores desident, araneis & muscis incolendum relinquite. Coetus mulierum, conventus hominum celebrate, per urbem concursando, vias easdem iterando, aegrotorum cubilia perambulando, non linguae aut oris, sed manuum & pedum ministerio famam & nobilitatem in ultimas orbis partes propagate.

Finem dicendi jam facere sine ulla reprehensione liceret, & ultimam eruditi chori classem silentio praeterire. Praeterquam enim quod multa jam aliis dicta in suam caussam interpretari possint, quid apud sapientiae Professores, qui sua se virtute involvunt, & nihil extra se quaerunt, oratio mea efficere poterit, quod non ipsi & sua sponte efficere consueverunt? Nobili artium fastidio, absolutissimi naturae interpretes, & omnis literaturae contemtione humilitatem, ad quam praeter meritum, ut capite censi, detrusi estis, compensate. Pythagorae, cujus dicta Pythiis responsis erant veraciora, vestigia premite; qui rogatus, qua maxime

xime arte confideret, nullam se scire respondit, sed esse Philosophum. Et licet numquam paupertatem expugnare, & detrita pallia purpuratis vestibus mutare potueritis, titulo tamen & magnifica appellatione, quasi unici sapientiae & virtutis studiosi, supra omnes capita extollite. Invideant & subducant vobis auditores omnium disciplinarum Professores; invadant licet in possessiones vestras primorum ordinum ductores, & perplexas de Deo & Mente nostra disputationes, colorato ad doctrinam suam titulo adgregent, & ad religionis securitatem subtilius & certius se enodare posse jactent. Veram se, non simulatam, Philosophiam profiteri glorientur Juris prudentes. Rerum caussas & principia se non ex confictis originibus, sed ipso opere & usu cognoscere & perspicere Medici mentiantur. Irrideant vos & per ora hominum traducant dicacis eloquentiae institores, & Poëticae urbanitatis scurrae. Vos domi vobis plaudite & exsultate, quod illa, quam profitemini, disciplina, sit omnium artium parens & procreatrix. Ingratas & inofficiosas filias, quae origine sua erubescunt, abdicate, & omni sapientiae hereditate in aeternum private. Memores aurei dicti, *qui beatam vult vitam vivere, philosophetur*, adventitias & auxiliares literarum copias, ab instructissimis horreis

removete. Antiquas ſcilicet Grammaticus vobis linguas commendarem, qui quotidie novas vobis formatis, & nauſeam deliciis veſtris nobis moventes, ſermonem excuditis, quem neque Graecum, neque Romanum, ſed ex utroque mixtum, vernaculum & domi natum quis dicat, & qui tamen terrarum orbem implevit. Ex foetentis Ennii ſterculinio, ex olido Pacuvii ſimeto, vos, rerum non fabularum auctores, aurum colligere juberem, qui ex ſplendidiſſimis Platonis & Ariſtotelis gazis lucidiſſimas gemmas depromitis, quarum luce & ſplendore omnes mentis tenebrae diſcutiuntur. Ad Rhetorum vos ſcholas ablegarem, qui quotidie vobis apparere omnium artium, & ſanctae in primis Eloquentiae janitricem, Logicam video, quae omnes aditus ad inveniendi, partiendi, & diſputandi facilitatem recludit, & magica quadam efficacitate pueros, paullo ante elingues, de rebus, quas nondum intelligunt, ignoto eruditis ſermone promte garrire docet. Ad ornandi & amplificandi praecepta ego vos demitterem, quibus divina illa diſceptandi magiſtra Dialectica, tot acumina, tot captiones, tot connexas conjunctiones, tot laqueos, quibus mentes irretiuntur, ſubminiſtrat: ad Ciceronis de Oratore & dicendi arte dialogos, ad pompam magis & ſplendorem, quam

quam utilitatem nullo ordine & ratione effictos; ad scepticas & sinuosas Fabii institutiones Oratorias vos abire juberem, qui ex Cleanthis apotheca & Chrysippi lecythis fucos, & fallacia magis & colorata pigmenta profertis. Historias ab origine rerum, regnorum ordines, rerumpublicarum vicissitudines vobis enarrarem, qui ante mare & terras, quid factum fuerit, vel fieri potuerit, mente vestra formatis. Per orbem terrarum, ut quid agant homines cognoscatis, circumducerem, qui mentem & oculos in coelo defixos tenetis, & alios invisitatos & inauditos annalium conditoribus orbes, montibus, silvis, fluviis, urbibus, & incolis instructos, digito demonstratis. Ad insanientis & otiosi ingenii oblectamentum Poëticen si jam abducere vellem, nulla ratione possem: ita enim omnem fingendi & praeter veri speciem nova excogitandi vim consumsistis, ut materies carmini fabricando deesset. Tantam quoque & tam illustrem ex commentitiis rerum caussis famam reportastis, ut vel unius sectae Philosophicae auctor omnes omnium seculorum Poëtas & fabularum architectos obscuret. Stultis & populo persuadeant vaticinantes Poëtae, divino se furore & aetherio spiritu adflari; unusquisque vestrum se Sapientem illum, sola mentis cogitatione formatum, Deo aequalem esse venditet, &

uni-

universam Philosophantium chorum Deo, rerum opifici, consiliarium & adjutorem adsidere jure glorietur. Hanc universi machinam vos construxistis & fabricastis; semina & ortus rerum, vestra manu jacta, excitastis; principia coeli, terrae, & maris posuistis, & illo, quo conspicimus, ordine conservatis. Denique, quod nulli eruditorum ordini contigit, licet sapientiae adversarii & detrectatores calumnientur, nihil adhuc esse repertum, in quo industria futuri seculi acquiescat, aut innitatur, nihil tam absurdum esse, quod non ab aliquo Philosophorum sit dictum, nullus tamen inter disciplinae vestrae conditores & principes extitit, qui non sectatores innumeros invenerit, & familiae nomen suum imposuerit. Tueamini ergo acriter, sapientes, locum, & in gradu constanter state. Si antiqua dogmata & scita tempore exolescere, & à recentioribus aboleri videatis, nova & inaudita ab integro comminiscamini. Perniciosam modo literatorum societatem vitate, &, si ad summas & curules eruditorum sellas, quae vobis debentur, adspirare non permittatur, ex illo certe, in quem olim sine ullo fastu irrepsistis, artium liberalium ordine, ne pestis in hirsuta pectora serpat, omnis elegantiae & politioris doctrinae magistros deturbate.

Sed concludendam esse orationem, & fatigata tam

longo

longo sermone patientia vestra, A. nihil superesse video, nisi ut brevissima peroratione juventutis animos, collectis & in unum contractis argumentis, ne pestilenti illo sidere se adflari sinerent, admonerem & exhortarer. Sed si Doctoribus plane persuasero, inutiles & calamitosas gravioribus disciplinis nostras esse literas, quis invalidas jam dicendo vires in turbam discipulorum vehementius excitandam, me exhaurire suaderet? Ut armenta pastoribus, qui illis imperant, ita vos, o dociles & cerei animi, praeceptoribus obtemperare novi. Si tamen rari inter vos, in verba magistrorum jurare non soliti, reperiantur, nullus metuo, ne hac in parte ab eorum dictatis discedentes, mihi adversemini. Si tamen rationes meae & argumenta nihil efficere, nec ipsa artium nostrarum vilitas & damnosa contagio vos ab earum cultu deterrere poterunt, spectate, quaeso, ad praemia & honores, illiteratis & humaniorum artium contemtoribus posita & persoluta. Haec ut consequamini, auctor & impulsor vobis existo, ut hunc per Academias, non dicam cursum, sed volatum magis magisque corripiatis; ut praeteritis Sirenum scopulis & insidiis, blandis Literatorum & Poëtarum cantibus aures obstruatis: & praevecti vada & brevia, quae latissimus Historiarum & Antiquitatum pontus

occultat, ad portum illum, omnis laboris & industriae finem & requiem, Doctoris titulum, remis & velis festinetis. Tunc non modo negligere omnem antiqui sermonis curam, & variae eruditionis ex memoria vestigia, si qua supersunt, delere, sed ipsius etiam doctrinae, cujus insignibus decorati estis, oblivisci vacabit. Ne tamen nihil egisse vos in Academiis, & pecuniam doctrinae auctoribus & instrumentis destinatam, inutiliter profudisse parentes & amici criminentur, ut periculum faciant in alea & ludicris, in calido & vino potando, in comissationibus nocturnis, & grassationibus, in saltatione & concinno membrorum motu, in vestium & capillamenti decora compositione, rogate: & sollertes vos praestabo. His artibus & dotibus, quas ad histrionum & artificum, non Professorum dictata exhibebitis, admirationem popularium excitate, qui immundos & mucosos pueros, tam nitidos & elegantes Doctores in patriam ex Academia remeasse, gratulabuntur. Civium non tantum, sed illustrium & principum virorum gratiam & favorem contemnendo & fastidiendo priscas linguas, & scholasticam doctrinam infamando, conciliate. Honores & magistratus strenue ambite, & ad eos viam, dissimulata Latinae linguae intelligentia, facili-

cilitate & nitore linguae Vernaculae, & ante omnia Francicae venuſtate & lepore munite. Ad hanc toto pectore incumbite: in hanc non modo remotiſſimae antiquitatis monumenta transfuſa, & fideliſſime conſignata, ſed omnium artium & ſcientiarum myſteria ſe in Francorum mentes & volumina inſinuaſſe perſuaſum habete. Hinc ubi uberem & perennem colloquiorum in circulis & conviviis materiam paraveritis, temporis in Latina lingua addiſcenda collocati jacturam, lacrimis numquam inareſcentibus & aeterna querela deflebitis. Monumenta Graeca, & Latina opera, ab hirſutis & incomtis parentibus olim effuſa, averſemini; ſed eadem, nunc elegantia & cura interpolatorum nitidiori, & moribus ſeculoque cultiſſimo magis congruenti amictu, commendata, ſumma cum admiratione verſate. Patrios annales & aviti temporis Hiſtorias, olim à Meurſiis, Grotiis, Voſſiis, & neſcio quibus, ſub craſſo Batavorum coelo natis, ineptis & ſervilibus veterum imitatoribus, barbaro ſermone in peregrinorum uſum proditas, ad tabernas, ubi ſalſamenta & aleces venduntur, projicite. A politis & comtis Veneris & Cupidinis nepotibus, qui inſigni mentis ſubtilitate & ingenii felicitate omnibus Europae nationibus antecellunt, non modo naenias amatorias, & fabulas

Milesias, matronarum & virginum nostratium etiam suavissima oblectamenta, avide accipite; sed reipublicae nostrae formam, leges, instituta, & fata, non à conductis modo librariorum operis properata, sed à publica largitate auctoratis Declamatoribus, peregrina quidem, sed apud honestos jam pervulgata lingua, elaborata perlustrate. Admiremini mecum, nihil his inquilinis coeli nostri stuporem & frigus, nihil paludum nostrarum nebulosas exhalationes, ex ingenerata alacritate & vigore detraxisse, sed fastidiosos illos barbariae & horroris Graeci & Romani domitores, ita in mores nostros, licet à linguae incultae scabritie abhorreant, transiisse, ut ejurata adsentatione regia, dicacitatis popularis & satyricae licentiae tyrocinia, stupente tota Gallia, deponere non erubescant. His delicatae pronuntiationis arbitris, qui in expoliendo agresti Batavorum ore tantum laboris, & sudoris impendunt, hanc saltem gratiam referte, ut ne horrendo Belgicarum vocum sono & inamabili stridore aures tam teneras radatis. Exoleti sermonis inimicis, & doctarum linguarum eversoribus plenam fidem habete, Romanam, perdiscendi difficultate & molestia odiosam, dudum ab elegantioribus viris neglectam & contemptam adseverantibus; eamque, ut exiguam & vilem scholasticae eruditionis portiunculam,

ad

ad paucos paedagogos, triſtes & moroſos, eſſe relegatam. Francicae vero tantam eſſe facilitatem & ſuavitatem, tam illuſtrem celebritatem, ut cum per omnium jam virorum coetus, per muliebria ſenacula pervaſerit, ſpem non vanam novae eloquentiae architecti conceperint, illâ non modo curias & fora, ſed omnes Academiarum cathedras brevi perſonaturas: & ipſos Humanitatis antiquatae Profeſſores, niſi moribus ſeculi nitidiſſimis obſequentes ruſticitatem ejurent, ad ludos literarios, in ultimo Septemtrione & Moſcovia excitatos, brevi demigraturos.

DIXI.

